ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

S. P.

Potuissem silere, vir nobilissime, si tam ex re mea, quam e publica esse
crederem te hoc rerum statu non interpellari: sed ut nunc vivitur, ubi tantum
non in naturam abijt privata publicis præferre, malui in communi
seculi vitio deprehendi, quam intempestiva virtute in commodum meum
peccare. Hac scilicet præfatione opus erat, antequam Sabinum
illud, in quod non ita pridem incidi, somnium exponere tibi ausim.
Aiunt vestrum à manibus Petrum Coenium, cui Batavarum commer-
ciorum indices hactenus crediti fuere, de vita periclitari; cui si quid hu-
manitus acciderit, haud dubie succidaneus fuerit deligendus. in
hac re consilium & auxilium nunc imploro tuum, ut, pro candore
tuo, me vel sperare vetes, vel si iubeas, innuere ne dedigneris quibus
medijs confieri hoc negotium quam commodissime possit. Hoc si
quid ad rem faciat, cum nuper viri docti & ingenui Staackmans
& Coenders rationem itineris, in quo me comitem habuerant, illustris-
simo Principi redderent, nonnulla ~~[illegible]~~ super me quærebat, nec dissimulabat
quam bene de me sentiret, benevolentiam suam mihi nusquam defu-
turam non semel testatus. ita ut à fama & martirio, quod, pro eius
nomine olim passus sum, ipsi innotuerim, cuius pro corona, si hoc
muneris mihi obtingat, faxo ut magnum edam gratitudinis exem-
plum.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Burgh) 41
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/826

filium. Quod si et Barbarossae non Frederici, collegae tui, operam et hic requiratur
potero hanc facillime mihi conciliare. quod horribile arcanum tamen non revelo
Si ego nequicquam has rationes meum deputo, nil nisi charta mihi perijt.
Divellor. Vale vir nobilissime, et ut hactenus, ama

ex asse tuum

A. Burgh

Coloniae in aedibus Bilderbeeckij
17o. Septemb. 1633.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Burgh) 41
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/826

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Burgh) 41
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/826

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Burgh) 41
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/826